



**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. II. Vtrùm in iustificatione nobis infundantur virtutes morales
supernaturales?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

ta. unde etiam Tridentinum hæc inter se confundit ac pro eodem habet; quare æqualiter videtur utrumque definuisse.

33 Dices, non haberi expressè in Concilio nobis infundi habitum, sed solum ex aliquibus eius dictis inferri: ergo hoc solum est conclusio theologica. Respondeo, negando consequentiam: quia hoc non inferimus ratione connexionis quam habet cum re in Concilio definita, sed ex vi significationis verborum & identitate significati, siue quia res utriusque verbis significata, accipiendo utraque propriè & secundum vsum communem, & prout id verborum contextus aliæque circumstantiæ exigunt, est eadem. Nam, ut iam ostendi, dicta Concilij verba si propriè accipiantur, in ijs circumstantijs nihil aliud possunt significare, quam caritatem habituales; quæ est verus habitus, quæ ratione, ut ostendi nu. 17. & 18. ex eo quod una propositio sit de fide, rectè inferimus aliam, quæ idem cum ipsa significat, etiam esse de fide.

34 Dices Secundo, Concilium solum intendit damnare hæreticos, docentes nos esse formaliter iustos sola iustitia Christi nobis extrinseca: ergo solum intendit definire nos esse formaliter iustos aliqua forma intrinseca, siue hæc sit actus siue habitus. Respondeo, negando consequentiam. Primo, quia hæretici non solum hoc docebant, sed etiam peruersè negabant nos esse iustos per aliquos habitus nobis intrinsecos; & damnabant sententiam (quæ, ut ostendi n. 5. saltem respectu adultorum semper fuit communis totius Ecclesiæ) quæ docet nobis infundi habitus fidei, spei & caritatis. & consequenter sicut Concilium intendit eos damnare, ita intendit etiam hanc sententiam definire. Secundo, quia sæpè Concilia in suis definitionibus non solum damnant sententias hæreticorum, sed simul etiam explicat quid circa propositam materiam sentiendum sit, ut etiam ex verbis ipsius Concilij patet.

35 Obijciunt aliqui Tertio, Concilium consulto abstinuisset nomine habitus, quia nolebat hanc questionem hæcenus inter Theologos dubiam, & à Concilio Viennensi indecisam relictam definire. Respondeo hanc objectionem parum momenti esse. Primo, quia nullo modo probari potest totum Concilium consulto ab eo nomine abstinuisset: cum longè probabilius sit eos qui hoc primò dixerunt solum ex priuatis aliquorum dictis id collegisse, quorum non erat mentem Concilij explicare. Secundo, quia varias alias ob causas potuit Concilium illud nomen omisisse, & præcipuè, quia sicut definitiones maximè ex Scripturis deducit, ita voluit uti verbis Scripturæ vtitis, in qua sæpè dicitur nobis infundi fidem & caritatem; non tamen habitum. Tertio, illa obiectio supponit apertè falsum, scilicet olim in Ecclesia semper fuisse dubitatum an nobis in iustificatione habitus infundantur. nam, ut ostendi n. 5. Ecclesia partem affirmatiuam in adultis semper ut certam supposuit. quare nominis illius omisio parum curanda est, cum, ut iam ostendi, ipsa res satis sit expressa.

D V B I V M II.

Utrum in iustificatione nobis infundantur virtutes morales supernaturales?

D Vrandus in 3. d. 33. q. 6. Scotus d. 36. q. vni-
ca ar. 3. post medium, & quidam alij id negant. Primo, quia non dantur virtutes morales distinctæ ab acquisitis: atqui hæc saltem ordinariè non infunduntur: ergo nullæ ordinariè infunduntur.

Secundo, quia illæ virtutes neque sunt necessariae ad iustificationem; quia hæc potest fieri per infusionem fidei, spei & caritatis: nec etiam in ordine ad operationem; quia virtus acquisita potest versari circa omnia obiecta circa quæ possent versari illæ virtutes infusæ: ergo illæ virtutes nobis non infunduntur.

Tertio, quia si illæ virtutes nobis in iustificatione infunderentur, expellerent habitus viti-
orum oppositorum & darent facilitatem in operando: atqui experientia docet hoc esse falsum: nam attritus per Sacramentum iustificatus æqualem ferè sentit inclinationem ad vitia, & difficultatem in exercitio virtutum, atque antea: ergo illæ virtutes ei non infunduntur.

Marfilius. Solut. argument. concedit quidem virtutes morales nobis infundi; negat tamen has esse distinctas ab acquisitis.

38 CONCLUSIO. Multò probabilius est nobis in iustificatione infundi virtutes morales supernaturales siue infusæ per se, qualesque nostris actibus non possumus acquirere. Ita D. Thomas 1. 2. qu. 63. a. 3. & omnes Thomistæ; estque longè communior sententia Theologorum: & vel hoc nomine ceteris paribus magis amplectenda.

Ratio autem D. Thomæ est optima; quia sicut homo in iustificatione eleuatur ad statum omnino supernaturalem, ita conuenit eum reddi intrinsecè potentem ad exercendas actiones illi statui proportionatas, & consequenter ad actiones supernaturales, idque non solum circa Deum, sed etiam circa obiecta virtutum moralium, quia harum etiam actus debet exercere suo statui conuenientes: ergo sicut necessarium fuit ei infundi virtutes theologicas, ut possit debite versari circa Deum, ita necesse est ei infundi alias virtutes, ut circa harum obiecta debite & conuenienter suo statui versetur.

39 Confirmatur, quia, ut ostendi disp. 4. nu. 48. non meremur augmentum gloriæ, nisi per actus in substantia supernaturales: atqui, ut ostendam disp. 8. dub. 4. illud meremur etiam per actus virtutum moralium: ergo eos elicimus supernaturales in substantia, & consequenter ut intrinsecè simus potentes eos elicere, necesse est nobis infundi habitus supernaturales.

40 Ad primum argumentum contrarium, nego maiorem: nam cum, ut ostendi disp. 5. dub. 3. actus naturalis & supernaturalis possint habere idem obiectum formale, nulla est ratio cur negemus eiusmodi virtutes supernaturales esse possi-

36
Durand.
Scotus.

37

Marfilius.

38

D. Thom.

39
Actus meritorij prout supernaturales debent esse supernaturales.

40

possibiles: & ut iam ostendi, eas dari conuenit.

Ad secundum argumentum, nego antecedens. ex dictis enim patet, ad perfectam iustificationem, qua constituimur in statu supernaturali ordinato ad beatitudinem supernaturalem promerendam, requiri ut constituamur intrinsecè potètes elicere actus, non solum theologicos, sed etiam aliarum virtutum in substantia supernaturales: ad quod necessarium est, ut infundantur nobis earum habitus supernaturales.

41

Ad tertium, nego maiorem. Quia habitus supernaturales, eò quod non inclinent sensibilibiter in obiectum, nec propriè & immediatè siue per se repugnant ullis habitibus naturalibus, nec dant subiecto veram facilitatem in operando, sed tantum vim eliciendi actum supernaturalem, cum aliis non posset elicere nisi naturalem. ut fusiùs ostendam dub. 6. Et confirmatur, quia aliis ex eo argumento sequeretur, nobis non infundi habitus theologicos: quia qui acquisiuit habitum infidelitatis, desperationis aut odij Dei, postea per attritionem cum Sacramento iustificatus, communiter ferè eadem inclinationem sentit in dicta vitia, & difficultatem in exercitio contrariarum virtutum atque antea: & si aliquando accidat contrarium, hoc fit ratione gratiarum præuenientium, quæ conuerso abundantius dantur: unde nulla experientia quis potest deprehendere sibi eos habitus esse infusos.

42

*Clementin.
Conc. Viennense.*

Nota, quosdam putare nostram conclusionem esse adeò certam, ut contrariam dicant esse aut erroneam, aut valdè temerariam. Primò, quia Clementina de summa Trinitate ex Concilio Viennensi definitur, esse probabilius, & Sanctorum dictis conformius, nobis in iustificatione infundi gratiam & virtutes. Sed hoc nihil facit ad rem: nam Concilium loquitur de virtutibus theologicis, ut patet ex verbis ipsius præcedentibus, & ex cap. *Maiores*, de baptismo, & ex Trident. sess. 6. c. 7. vbi de iisdem virtutibus agens definit nobis infundi fidem, spem & caritatem.

*c. Maiores.
Trident.*

43

Dices, Concilium Viennense ibi docet, probabilius esse eas virtutes nobis in baptismo infundi, de quibus tunc erat controuersia inter Theologos: atqui numquam fuit controuersia de virtutibus theologicis, quas omnes semper senserunt nobis infundi: ergo agit ibi de virtutibus moralibus.

Respondeo, hanc obiectionem procedere, ex opinione eorum qui putant Concilium ibi & Innocentium c. *Maiores*, de baptismo, disputare an virtutes infundantur adultis: quos supra n. 5. & 6. ostendi apertè falli, & tam Innocentium quam Concilium solum ibi disputare, an ex virtutes, quas omnes communiter concedebant infundi adultis, dum iustificantur, etiam paruulis infunderentur in baptismo. Ex quibus nostra responsio confirmatur. Nam Concilium, ut ostendi, solum agit ibi de virtutibus, quas Theologi omnes concedebant infundi adultis: atqui hæc sunt solum theologicæ, nam de alijs inter eos erat controuersia: ergo Concilium agit de solis theologicis.

Probant id Secundò, ex quibusdam locis Scripturæ, Conciliorum & Patrum: sed ex quibus ut summè potest probari, nos actus istarum virtutum non posse meritorie aut perseueranter exercere sine aliqua gratia. quod nihil facit ad rem. Imò quadam loca ab ijs citata habent sensum omnino impertinentem ad præsentem materiam, ut benè ostendit Curiei. 1. 2. qu. 63. a. 4. dub. vnicò §. 3. ideoq; merito infert, contrariam sententiam non esse dignam vlla censura, solumque esse multò minùs probabilem.

44

Curiei.

D V B I V M III.

An habitus supernaturales in nobis creentur?

Multi olim putarunt, gratiam habitualem propriè in anima creari. Primò, quia non potest dici educi de potentia materia, aliàs deberet in ea contineri, & consequenter non esset supernaturalis. Secundò, quia in Scripturis dicitur creati in nobis. Psalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Ad Ephes. 1. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis.* ita Bonau. in 2. d. 26. qu. 4. Richard. ibidem 2. 1. qu. 2. Scotus in 4. d. 1. quæst. 5. §. *Contra istam opinionem.* Sotus libr. 2. de Gratia cap. 9. & alij.

45

Sed utrumque hoc fundamentum facile soluitur. Ad primum, Respondeo cum Vasquez 1. p. disp. 174. nu. 10. gratiam verè educi de potentia materia siue subiecti (quia hoc nihil aliud significat, quam eam produci dependentè à subiecto eam sustentante, quod supra disp. 4. n. 17. ostendi verissimum esse): quia tamen educitur modo omnino supernaturali, nec ab ullo agente naturali educi potest, non potest dici contineri in potentia ipsius naturali, (quia sic significaretur eam potentiam virtute naturali posse reduci in actum) sed in potentia obedientiali: quia sola virtute diuina in actum reduci potest.

*Psal. 50.
Ad Ephes. 1.
Bonauent.
Richard.
Scotus.
Sotus.*

*Vasquez.
Gratia educitur de potentia materia. Quid sit educi de potentia materia.*

Gratia solè continetur in potentia obedientiali materia.

Ad secundum, Respondeo cum D. Thoma 1. 2. qu. 110. a. 2. ad 3. hoc dici, quia gratia nobis infunditur nullis præcedentibus nostris meritis, atque ita quodammodo ex nihilo fit secundum moralem æstimationem; ut satis etiam colligitur ex dicto loco Apostoli: vbi probat nos per fidem saluatos esse non ex nobis, nec ex operibus nostris, quia Dei factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis: quasi hæc essent idem, nos creatos esse in operibus bonis, & nos accepisse virtutem ea faciendi sine nostris meritis.

D. Thomas.

CONCLVSIO. Gratia iustificans alijsque habitus supernaturales, et si moraliter & tropicè possint dici creati in nobis, quatenus sine nostris meritis nobis primò infunduntur, atque ita secundum æstimationem moralem ex nihilo fiunt, iuxta iam dicta; tamen physicè & propriè loquendo non possunt dici creati in nobis, sed produci, sicut alia accidentia. Ita apertè D. Thomas & Vasquez supra citati.

48

*D. Thomas.
Vasquez.*

Sequitur ex dictis, quia ideo alia accidentia dicuntur non creari, quia educuntur ex potentia materia, atque ita non producuntur planè ex nihilo: atqui, ut iam ostendi, hoc etiam conuenit

uenit